

Agnellus, qui Andreas vocabatur (erat autem ille illo tempore artificiorum omnium ingenius plenus) esto hic prope, præcipe Artificibus quomodo facere debeant, ne arca, aut lapis, quæ ei superposita est, frangatur. Quo deposito Artifices paraverunt omnia juxta præceptum Presbyteri, & elevatus lapis, cum quo clausa erat arca apparuerunt ossa B. Maximiani subtus aquam, vas autem aquâ plenum erat; & ut vidimus cœpimus plorare fortiter, unâ cum nostris Præfule, plorantesque dicebamus ad invicem; ubi sunt Pastor Maximiane oves tuæ, ubi grex tuus, ubi populus tuus, quem Domino adquisivisti, ubi monita, ubi dulcia eloquia, ubi sancta prædicatio, ubi tua doctrina? Si dixerimus tu noster Pastor, istum præsentem quomodo abiiciamus? Ecce ambo Pastores in uno estis, & tu qui *tares* (1) exanimis, & hic qui plorat, cui nos obedire oportet. Viscera nostra exemplum tuum confringit. Ecce nos te requirimus, & diligimus; quanto magis amabilis fuisti illis omnibus, qui te noverunt? Postquam omnes diutissime, & amarissime flevimus, satiati luctu, allatum est nobis æreum vasculum, quod vulgò siculum vocamus; & projecti sunt fidei pleni aquâ, quæ erat infra arcam super ossa B. Maximiani numero CXV., quos ego ipse palam omnibus ore proprio *numeravi*. *Ablata* (2) verò omnia ossa voluta sunt in syndone, quæ erat super Altarium B. Andræ Apostoli, & ligata syndone sigillum ex latere suo Pontifex annulo signavit. Post hæc verò arca excussa est absque ulla læsione, & levata diligenter sursum locavimus. Quæ verò ossa omnia integra invenimus tenuia erant, sed procerâ, & sic ordinata ad juncturas suas, quasi penè anno uno exempta carne fuissent; nulla minutitas, nisi dens unus dexteræ parti deerat. Igitur lavata ossa cum vino electo, condita aromatibus ordinabiliter cum psallentium præsentia, & Præfule, omnia in eadem arca posita sunt, & cum ingenti luctu amabiliter sepulcro clausa sunt. Nos qui vidimus per multos dies fuit talis timor, & tremor, velut ipse B. Maximianus conspectui nostro staret. Sedit annos ..... mens. .... dies. ....

## OBSERVATIONES

## AD VITAM

## SANCTI MAXIMIANI.

Pallium ab Imperatore postulat qui fieri poterit? S. Stephani Ecclesia quæ? Maximianus post sedem adeptam semel Constantino-polim venit. D. Andræ Aedes Oratorium, an Ecclesia? Quisnam Vitalis, ad quem Venantii Fortunati, Carmina? D. Andræ Lipsana quando Constantino-polim? Bandus quid? Alexandrinæ Ecclesiæ turbæ à Maximiano narratæ Secularis historiæ quædam. Chriftimaria quid? Libri pro usu Ecclesiæ Missalia.

**I.** **R**ubeus ex Agnello Maximiani electionem referens ait, mortuo Victore Ravennates Pallium ab Cæsare per Legatos petisse. Henschenius in notis ad caput primum Vitæ ex Rubeo desumptæ, hæc habet; solum id voluit fortassis, aut debuit Scriptor dicere, quia Ravennæ fedes erat Exarcharum, quos terræ Italiæ præficebat Imperator, huic nunciatam esse mortem Epi-

A scopi, si quid juris fortè ad nominandum Successorem, arrogare is sibi solebat, uti etiam in Romani Pontificis confirmationem arrogasse ostendit Baronius ad annum 554. num. 1. & 2. & circa Pallii ab Imperatore dati qualitatem, & usum pro Episcopis Ravennatibus, citat Baronium disputantem contra apocriphum Valentiniani privilegium, de quo suo loco. Circa hæc ab Henschenio adnotata, illud primò observandum puto, nil in electione Episcopi Ravennatis sibi Justinianum arrogare potuisse Vigili Pontificis temporibus Exarcharum causâ, cum Præfectura hujusmodi in Italia tunc nondum esset, nec esse cœperit ante Longobardorum aetatem, cum jam Justinianus diem obierat. Arrogasse sibi non modò ad Ravennatis Episcopi electionem consensum præstare, sed & ad Romani Pontificis, nullus dubito, cum id sibi arrogaverint, & Gothorum Reges. Electoribus temporum, rerumque calamitas ferenda erat. Vigili Pontificem pro suo jure Pallium iis, quos decebat concessisse certum est, at ex Justiniani consensu. Extant, quæ id probare videntur ejusdem Pontificis Epistola ad Auxentium, & Aurelianum Arelatenses Episcopos. In ea, quæ data est X. Kal. Septembris quinquies P. C. Basilii, ait Pontifex Belisarium homini misso laborem ad clementissimum Principem transeundi abstulisse, sed mox ut responsum recepit, sibi suis literis indicasse. Mirretur itaque, ut videtur, ad Imperatorem pro consensu obtinendo, ut Pallium à Pontifice reciperetur. Ex his, quæ facti sunt, acres circa jus quæstiones exortas novimus inter nostræ aetatis doctissimos Viros: ea de re vide Petrum de Marca, Christianum Lupum, Thomassinum, aliosque. Illud breviter adnotare placet, vix prædicti duo exempla haberi consensu à Vigilio experti, quæ adstruunt id datum à Pontifice, quòd de Pallio mittendo in eam Provinciam agebatur, in quam per ea tempora credebant Constantinopolitani Imperatores sibi aliquid juris competere. Ea, quam statum rationem vocant, id fieri posse suadebat, ceterum nil juris sibi competere credidere Augusti, quo Pallium tribuerent, qua de re vide Præfationem nostram ubi Agnellum refellimus.

**D.** II. Ecclesiam S. Stephani à Maximiano constructam illam esse, quam in Olivis dictam vetera Ravennatis Ecclesia monumenta testantur, ubi dudum, sicut & hodie incoluerunt Sanctimoniales, sentit Faber part. pr. operis sæpius laudati. Id negat notarum marginalium Auctor, eo ductus argumento quòd Monialium Ecclesia suo tempore, ad ævum videlicet Constantiensis Synodi generalis, ejus elegantie non esset quam Agnellus laudat, & alteram credit intelligi debere sua aetate supersittem ad Ecclesiam S. Barbatiani, & Monasterium, sive Oratorium S. Zachariæ. Id probat ex veteri documento Notarii Morandi anni 1296. in Cartulario Canonicorum Ravennatum existente. Agnellus adificatum dicit non longè à Posterula Ovilionis. Primum versuum, qui inscribentur supercilio arcui Tribunæ corruptè expressit Rubens, & ex Rubeo Faber, Henschenius mendum correxit ad Maximiani Vitam Tom. 3. Febr. pag. 295. in notis ad cap. 3. Vitæ. Itaque legendum, ut in Codice Estensi pro Martyris, meritis.

Templa micant Stephani meritis, & nomine sacra.

at merita hic Sancti reliquias significari, probant alia hujus Vitæ ab Agnello scripta loca. Inscriptio etiam in nonnullis diversa est à nostri Codicis lectione. Ex his verò, quæ Noster adjicit, constat Maximianum semel Constantinopolim perrexisse circa

(1) *tares*. Mur.(2) *Ablata*. Mur.